



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. XXII. Columba.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Habes, honoratissime vir, Accipitris hieroglyphica, lectionem non quidem tuo sublimi ingenio dignam neq; multiplici eruditioni tue necessariam, sed cultus & observantiæ in te meæ pignus. Neque enim is ego sum, qui putem te ex dedicatione hac mea vel minimum crescere: sed si illi locus apud te in angulo aliquo concedatur, sciam me laudis plurimum comparaturum. Vale.

JOANNIS PIERII VALERIANI

HIEROGLYPHICORUM

LIBER XXII.

DE HIS QUÆ PER COLUMBAM TUR- TUREM ET HIRUNDINEM

SIGNIFICANTUR

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD ILLUSTR. HEROINAM VICTORIAM DAVALAM
PISCARIÆ PRINCIPEM.

Magni omnino ponderis est Pindari, Lyricorum principis, dictum illud, alio quamvis numero, in hanc certè sententiam:

Carmine res vivunt, carmina rebus egent.

Nam scriptor quantumlibet elegans & eximius, si vana & inania mandare literis aggrediat, puta purpura Simiam vestiat, nihil aliud assequatur nisi, ut omnibus sit derisus atque ludibrio. Si verò facta inclita præclarè, ab inepto imperitoque scriptore celebrentur, neglecta statim turpiter exoleſcent. Hac tum mecum reputo, honoratissima VICTORIA, tuamq; erga desideratissimum conjugem pietatem considero, illiusque res præclarè gestas Musarum tuarum elegantia decorari conspicio, fortunatissimum Principem appello, qui cum tot ante annos è vita migravit, per te quotidie reviviscat, clariorque & illustrior evadat. Te autem non minus beatam, qua materiam susceperis tam insignem, tam celebrari dignam, qua immortalè gloriam tam illi sit, quam tibi sine dubio paritura: idèq; vestra plurimum gratulor felicitati. An non ille egregie felix, qui virtutibus omnibus heroicis ornatissimus, rebus tot tantiq; sapientissime procuratis, gloriosissimeq; confectis, post optima illa spolia tam præclara ad Ticinum parta, quasi splendidius nihil in posterum expectare posset, è vita migrans, uxorem te reliqueret tam piam, tam pudicam, tam doctam, tali præstantem ingenio, eaq; facundia & arte scribendi præditam? ut quantum ille rerum gestarum splendore illustris est, tantum tu scribendo, & unum illum celebrando, clarissima passim habearis: in ambiguoq; posueris, utrum ille res illas prudentius feliciusve fecerit, an tu ea doctius & elegantius victura memoria commendaris. Magnificentiùs dicat fortè aliquis Artemisiam fecisse, qua marito celebra- tionis tantè sepulchrum struxerit, ut inter septem orbis miracula nomen habere meruerit. At tu quotidie tuo Mausolea facis, quotidie novas statuas ponis, quotidie columnas erigis, non quas temporis injuria demoliatur aut perdat, sed qua in animis hominum sita, nulla unquam fortuna temeritate labefactari possint, nulla vetustatis edacitate consumi. Quem referent Musa, vivet, merito Poëta clamant, & è classe tua unum isq; summus, fabricas has eludens, exegisse se monumentum ære perennius, regaliquè, seu pyramidum altius, gloriatur. Vincis igitur Victoria Artemisiam, qua marito nullo non die monumentum aliquod excitat non ex marmoribus aut cæmentis, qua aliquando fatiscere putrescereque necesse sit, sed ex politissimis poematibus, qua donec erit hominum memoria, summa cum utriusq; laude perdurabunt. Evadnem opponet alius, in qua vulgus majorem quendam affectum charitatèq; dei antit, quod flammis injecta mariti arserit. Imo superstitio major ea fuit, ac perinde execrabilior: utpote que utriq; acciderit pernicioſa sibi, quod se ausu temerario tam atrociter dono vitæ privaverit, isq; affligi panis voluerit, quas superi mortem sibi concessissentibus statuere: marito autem, quod manens ejus non ea tantum morte tam miserabili mactos reddiderit, sed ut de suppliciis etiam ejusdem, si quis apud manes sensus, æternum cruciaretur, effecerit. Altera huic non absimilis, P. Cornelia Annia, clam satis femina, qua ne in desolata orbitate superviveret, vitam se ultro in arcem cum viro defuncto damnavit. Sedenim, furor hic, profecto furor, non amor fuit:

cujus vecordia testimonium ut transfret ad posteros, testimonio etiam cavuit, ut sacrificio super arcam Platonis & Proserpine peractio ea rosis exornaretur, Sed facessant exempla haec à pietate insituta, nostris alienissima. Longè gloriosus proferet se forsitan Alceste Admeti Regis conjux laudatissima, qua mori ipsa pro mariti vita, quem fata sub hac conditione damnaverant, elegit: cujus mutua inter conjuges caritatis exempla, apud Romanos plerumq; sunt memorie commendata. Tu non minori in conjugem tuam afflictu succensa, mortem ideo non afflicisti, quod vivendo, vivum nobis maritum ingenio tui clarissimi optem representas, & quod admirabilis est, immortalem facis. Quinetiam dum vivis cum, quamvis apud sapienter incomparabili fruatur beatitudine, tua tamen pietatis officia, sensu nescio quo, rerumq; nostrarum, quaecumq; illum tangit cum, jucundiores hilarioresq; efficit, ac beatiores. Cum itaq; insignioribus viduis, qua ante aetla ante claruerunt, anteferenda sis, cogitavi ego ex hieroglyphicis lucubrationibus meae Columbam, & Tutorem tibi dedicare: ut commentarium hoc sanctissima viduitatis exemplar, non tibi, quae testimonio bis non eges, sed mihi jucunditatis illius, quam ex virtutum tuarum contemplatione percipio, monumentum sit, atq; conservatio. Tu quid fuscus coloris Columba apud Aegyptios, quid Turris sacris torum literis significaret, & qua veluti in comitatum accedunt, si adhiberit, leges. Ego me factum animo fecisse videor, si quam antiquissimi sacerdotes illi viduitatem quibusdam rerum imaginibus occultabant, nostro tempore per te prodire in lucem & omnibus innotescere contigerit.

DE COLUMBA.

PERSEVERANTIS CONTINENTIAE VIDUA. CAP. I.

Quamvis multa essent apud Aegyptios, & nationes alias Columbae significata, illud tamen in primis continentissimis illis Sacerdotibus admiratione dignum habebatur, quod cum animal alioqui procacissima salacitatis esset, lasciviaeque notam apud omnes fere gentes contraxisset, incomparabile tamen exemplum continentiae, summamque pudicitiam in ea deprehendebant, quod marito fidem servaret inviolatam. Quare mulierem quae vidua periret, significare illi cum insituisent, Columbam nigram pingere commenti sunt. Pudicitia siquidem, Columbis prima, & neutri nota adulteria: conjugii fidem non violant, communemque servant domum, quam nisi coelebs aut vidua non relinquit, & quandiu marito priori viduata est, alii non copulatur. Si vero iusta sit à domino transire ad secundas nuptias, fidem eandem servat secundo, qua se priori obstrinxerat, ut Propertius;

Exemplo junctae tibi sint in amore Columbae,

Masculus, & totum femina conjugium.

Idcirco Tertullianus in sua Monogamia hanc in exemplum trahit, nos ad simplicitatem ejus provocatos ea de causa differens: quod ea avis non innocua tantum sit, verum etiam pudica, quam unam unus masculus novit. Nigram autem illam Aegyptii faciebant, id scilicet indicantes, quod ad secundas nuptias non transisset, sed atrata viri prioris desiderium praese ferret: in lectu enim pullo ut colore, multarum gentium mos est, quamvis apud Romanos in Imperatorum funeribus vestibus albis, ut Plutarchus & Herodianus asserunt, utebantur. Venetos autem Padanosque omnes atratis uti vestibus, quod Phaethontis casum adhuc lugent, fabulosus idem Plutarchus ait: sive, quia niger color firmitatis & perseverantiae signum. Colores enim alii ex uno in alium transeunt; obscuriorisq; corporis admittance densiores fiunt: sed ubi ad nigrorem perventum est, ibi consistit. Ajunt vero nonnulli, non omnium hanc Columbarum naturam esse, ut pudicitiam ita custodiant suam, at eorum tantum, quas Graeci *Φάλαρα* vocant, pullis gallinaceis haud multo minores, quas ferunt trigessimum saepius & quadragessimum etiam vitae annum excedere. Coelibatum vero quem alterutro eorum extincto conjux alter fideliter servat, & Corvis & Cornicibus & Graculis communem esse perhibent. Columbarum autem oblationem in sacris Theologi ita accipiunt, ut conjugii tam firmi ratione habita, nos quoque mentem stabili firmitate perseveraturam Deo, uti vero conjugii sociemus.

COR.

Nigra Columba.

Fuscus color in luteo.

Corvi, cornices, graculae calibes.

A Sed & ille Columbarum pullos, aut par Turturum obtulisse dicitur apud Adamantium, qui aliquem *Columba*
 Sabsterruerit à vitiiis & sceleribus, hortandoque monendoque ad animæ simplicitatem traduxerit. *Nox qualis.*
 Tangit hoc etiam Cyprianus, qui emissam ab Noe Columbam lapsum imaginem præ se ferre com-
 mentatur, Sed his jam aliquantulum insistant, cum nequaquam Divinæ literæ sint ab hoc argumen-
 to dissimiles in quibus Columbam multipliciter figurare comperimus, ac perinde significata etiam
 variari. Sed hic series exigit, ut prius de fusca loquamur de aurea atque argentea suo mox loco di-
 cturi. Nam quæ ad Noam Oleæ virentis ramum ore gestat, fusca ponitur à Prophetis, esseque indicium
 perhibetur mentis, quæ à perperam factis jam abstineat, seque quieti dedat, hoc est, tranquillitati, quæ
 non nisi inde purgato à vitiiis animo locū habet. Sub vesperam hæc revertitur, deficiente quippe lu-
 ce, quod tantumdem est, ac si momentaneæ, aut brevi temporis curriculo duraturæ felicitatis dice-
 remus. Sub vesperam, inquam, advolat, ne occupetur à nocte quippe ne intercipiatur à morte, prius-
 quam infectum eluerit scelus, atque ita perpetui carceris supplicio afficiatur. Promissam enim esse ve-
 niam ei, qui paratus sit, in posterum bene, pie, & honeste vivere, & à quibus emerferit vitiiis & vora-
 ginibus abhorreere, alio loco indicat uropygium auri fulgore illitum: de quo tamen apertius dispu-
 tatur inferius. De Olea quoque, quæ sit misericordiæ signum, suo loco dictum.

ILLECEBRÆ AMATORIÆ. CAP. III

Quod vero sacerdotis Ægyptii per volucris hujus simulacrum illecebras amatorias significa-
 rent, duabus utriusque; sexus Columbis sese invicem exosculantibus adpictis: ea de causa factum,
 quod illæ non prius ad Veneris copulam, quam ad osculationem deveniunt. Hinc legas apud Sene-
 cam Mæcenatis dictum illud, *Columbatim labris insereus labra*. Extant & Gallieni Imp. carmina satis
 luculenta, quibus lasciviam hujusmodi per amatorium etiam murmur ab eis exprimi declarat eo in
 epithalamio quod ipse lusit, cum fratrum suorum filios jungeret:

*Ite, ait, o pueri pariter sudate medullis
 Omnibus inter vos, non murmur vestra Columba,
 Brachia non Hedera, non vincant oscula Concha,*

C Ea autem de causa, quod osculorum blanditias Columbæ norunt, dedicatas eas Veneri Græcorum *Cur Veneri
 dicata Co-
 lumba.*
 plerique tradidere. Cæterum Athenæus ob id factum putat, quod in Cypro Columbæ primum reper-
 ta, indeque ad gentes alias transmissæ. Veneri enim sacram esse Cyprum omnes norunt, Propter vero
 salacitatem eam, quæ notissima est in Columbis, Albertus non inepte nomen iis inditum ideo putat,
 quod lumbos colant: in Venerem quippe se ultro incitent, ingenua nequitia stimulatæ, cuius sedem
 in lumbis esse alibi didicimus. Apollodorus quoque de iis, quæ de iis conscripsit, Columbam Veneri
 sacram lasciviam ergo dicit, nomenque illi Græce *αφιστερον*; *αφιστερον* το *αφιστων* *εργον*, quod supra modum
 amoris det operam, arbitratur. Sane Siculi olim per suasum habuere, Venerem ab Ericis monte digres-
 sam, per dies novem stato singulis annis tempore secessum colere, interimque nullas toto eo tractu
 Columbas apparere: abire enim illas Deæ suæ comites, nonā vero post diem adventare unam redi-
 tus pronunciam, quæ Veneris templum ingrediebatur, reliquas mox uno turmatim agmine reverti,
 atque hinc gaudîo exultantes Venerem adesse profitebantur, diemque eum hilarem, cantibus & jo-
 cis festivum atque jucundum celebrabant.

*Cujus cur-
 rus ab his
 trahatur
 ex Ovid. lib.
 23. Metam.*

CHARITAS. CAP. IV.

Sane quod mutuis sese osculis Columbæ suavientur, ansam dedit, ut charitatem, amoris quippe pii
 virtutem hieroglyphice per Columbā nonnulli interpretentur. Et Apostolum citat Origenes, qui
 de charitate locutus, Columbā protulerit. Eruditissimus etiam Cyprianus tam vitæ sanctitate quam
 facundia clarus, in iis, quæ adversus Novatianum pro unitate concordiaque piorum omnium scripsit:
*Idcirco, ait, & in Columba venit Spiritus sanctus simplex animal, & latum, non felle amarum, non moribus
 savi, non unguium laceratione violenti, cujus ingenium est hospitia humana diligere, unius domus consortiū
 nosse, cum generant simul filios educare (ita enim legendū est, non edere) cum committant volatibus invi-
 cem coherere, cūmuni conversatione vitam suam degere, oris osculo concordia pacis agnoscere, circa omnia
 demum*

Callorum
mores hu-
manissimi.
Plin. lib. 7.
& Valer.
Max. de in-
stit. anti-
quis lib. 2.

Lib. de cla-
ri mulieri-
tus.

demum humanitatis omnem implere legem. Noti sunt humanissimi Gallorum omnium mores, qui pacem oscula tanto studio colunt, ut honori sibi ducant, quod adveniens hospes uxorem, sorores, filias etiamnum virgines osculo adhibito salutaverit, & in amplexum acceperit, & in gremium sibi ad- dere iusserit. Nam & apud Romanos olim licebat obvias quasque mulieres excipere osculo, quod idem Cato institutum tradit, ut explorarent an mulieres temetum olerent: capitale enim erat Romanis foemina gustare vinum, ideoque ferunt foemina quam sub Romulo vinum biberat, à marito impo- ne occisam. Apud Lacedaemonios oscula non concessa modo, sed etiam instituti Ludi, propositaque praemia iis, qui seniores lepidius suaviarent Nisæorum id inventum, & à Megarensisbus etiam in ho- norem Dioclis observatum. Nam & illa Romanorum exosculationes, ut foemineo generi honores ha- beretur, sanctae sunt, ut apud Plutarchum legitur, nempe quod Aboriginibus in Tyberim in vestigia Roma quadam nomine inter mulieres quas secum adduxerant nobilis, auctor fuit, ut classis ablu- meretur incendio, unde coacti sint ibi sedem figere: quod cum illis feliciter successit ejus generis praemia mulieribus detulerunt, quae auspiciissimi facti memoriam prorogarent. Ad hæc Nomadum asperrima rusticitas incessit, quorum tanta fuit severitas, ut ne filios quidem biberat, ut ita dicunt, Divinis nostrae pietatis monumentis ipsum Assertorem nostrum legimus charitatem, ut ita dicunt, frigidam in Simone hospite, quod osculo non fuerit ab eo exceptus, exprobrasse. Et sacris Pontificis Romae ritu solenni per mutuas exosculationes pacis augurium celebratur:

*Ipse etenim casta dum operetur mente sacerdos,
Oscula dat, quae dant ille vel ille aliis,*

A E R. CAP. V.

Redidere nonnulli Columbam ab Aethyris coli in Semiramidis gratiam, sed auctores Graeci Rheæ potius memoriam: utpote qui asserant, aerem & aquam potiores esse partes, in quibus ostendet se natura rerum, pari que ratione abstinere eos à piscibus. Cum vero volatile unumquodque animal sit aeris indicium. Columbam praecipue nuncupatione hac, hieroglyphice veteres honesta- verunt, quod domesticis alitibus nulla neque longius domo, neque diutius abvolet, tecti tamen latusque memor summa fide revertatur, & mansuetissima nobiscum consuetudine diversetur. Obiecta- bunt Hirundinem alii, quae trans mare etiam migret, ad sibi domesticam tamen sedem redeat: sed illa nunquam cicuratur, neque ulla nobiscum consuetudine sociantur: sive ea potius fuerit hujus hono- ris causa, quod illi tanta sit cum aere familiaritas, ut ibi tutius quam humi versari videatur, tanta- que sit ejus volatus facilitas, ut Maro dicat,

Enri. lib. 5.

Radix iter liquidum, celeres neque commovet alas:

pernicissimus enim est ejus volatus. Unde Hefychius Columbam neque non Turturem hieroglyphice ponit hominis, qui mente sublimia quaeque facillime penetret, & contemplationi sit egregie de- ditus. Merito itaque Syri, qui aerem usque adeo colunt, tanta religione Columbae pepercere, quod ita tangit Tibullus:

*Quid referam ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palaestino sancta Columba Syro?*

In numo sane Cybiritico Columba cusa hanc loci religionem mihi videtur indicare. De urbe haec

Numus Cy-

Horatius: *Ne Cybirtica, ne Bithina negotia perdas.*

birticus.

In Cilicia ea est, quamvis & alia sit minoris Phrygiae. In numo autem inscriptio est ΚΤΒΙΡΑ: Signum,

Epist. 6. 1.

Columba volans. Fuit & puella Phthia nomine, quam Jupiter fertur adamasse ejusque formam in

Columbae speciem commutasse: traditum ab Aeliano. Sed hoc nihil facit ad Aegyptiaca. Quod vero de Semirami dicebamus, addemus & illud ab ea derivatum, ut Persae matrum filiarumque suarum conjugia non abhorreant, utpote quae filium ad stuprum usque consuetudinem adamasse fertur.

IMPIUS INGRATUSQUE. CAP. VI.

Quin hæc iniusta est Columbarum generi nota, quod eorum mas jam validior factus, patrem re- tro impetit, & à matris consortio tentat abigere, ejusque conjugii locum occupare. Quapropter Aegyptii sacerdotes impium ingratumque hominem, ac, in eos qui de se bene meriti fuerint, perdis- ellem, significare si vellent, *Columbam*, inquit Horus, *aut pullum ejus, qui matrem sollicitaret, sacri- confuerunt.*

CASTI.

CASTITAS. CAP. VII.

A Sed esto lascivum animal columbinum genus, contra Palumbes parcissimi coitus sunt: ideoque quod parcant lumbis, Albertus exilimat appellatos. Nam & qui frequentiori usu eos in cibum sumptitare consueverint, in Venerem hebetiores redduntur: quare non inscite illud de alitibus huiusmodi dictum:

*Inguina Torquati tardant hebetantq; palumbes:
Non edant hanc volucrem qui cupit esse salax.*

*Palumbes
unde dicitur.

Martialis
in Aspho-
retis.*

SEMIRAMIA PROCACITAS. CAP. VIII.

Quoniam vero, ut dictum fama est Semiramiam sub effigie Columbæ ab Assyriis coli, Gnidius scribit eam a Columbibus enutritam, & in Columbam inde conversam, qua specie colebatur apud Assyrios: id quod de petulca ejus improbitate intelligendum est: tametsi quos Diodorus citat, eam & modestam, & nota admodum integritate præditam fuisse prædicant, neque eam ignobiliter natam interficiantur: utpote quæ circa stagnum quoddam in parte Syriæ, in crepidinem aquis prominentem projecta, aliquandiu fuerit ab aquatilibus volucibus, quæ apricatum eo se recipiebant, miro propemodum studio educata: quippe non solum alimenta congererent jacenti, sed perinde eam fovendo, ac implumes pullos ab omni aeris injuria protegerent, quoad pastores creberrimo volucrem concursu, in solitaq; trepidatione moti, ex proximis insulis eo convenientes jacentem ex-tulerunt, alitemq; apud se diligenter Menoni, Regis Nini familiari, in uxorem concessere. Sed enim de famosa ejus scemina procacitate, Scaurobates Indorum Rex apud Historicos ita in eam invehitur, ut pastorale scortum, ut Assyrii regis concubinam fuisse proclamet, ut nullum egerit diem in castris sine adulterio, raroq; ullus ad eam aduter bis admissus fuerit. Satis vero constat tam immoderate libidinis fuisse, ut Equum abominabili probro turpitudineq; adamaverit, auctore Juba. Eam sane ob libidinis fervorem Euphorio *ἡλένη, ἡνερόν*, hoc est, Ardentem appellavit, epitheto admodum proprio, perinde ac Callimachus Venerem eo versu *ἡλένη, ἡνερόν* a quo *ἡλένη*, id est, ardentem Cypri-
du harmoniam. Hanc Hieremias quoque Columbæ notavit elogio, cum Babylonios Hebræorum excidio venturos vaticinaretur: *Fugite, inquit, ab occurfu gladii, quem Columba vobis bibit:* per Columbam Babylonis conditricem, & ejus populi authorem innuens. Quod autem vates hic fatidicus eam gladio insignem inducit, de feroci & impigro ejus ingenio multa rerum scriptores tradidere, sed illud præcipue facinus memorandum, quod Nino Bactrianos obsidente, Menon hanc, uxorem, quippe suam, accersivit, quæ ubi primum in castra venit, Mulier acri ingenio, Bactrianæ acris situm contemplata, confestim viro rationem ostendit loci modico negotio occupandi. Erat arx ab una parte præceps, atque in profundam vallem insigniter abrupta, quam hostes velut inaccessible, nullo præsidio custodiebant. Huc audax mulier cum paucis, quos sibi ad id facinus delegerat, per loca ab Hostium oculis maxime averfa, atque eadem aspera & confragosa, præter spem omnium obrepfit: inde cum sese veluti cælo delapsa hostibus (quorum oculos Assyrius, dum negotium conficeretur, subita oppugnatione ab omni sensu eorum, quæ fierent longe averterat) ex improvviso obtussisset, Bactriani omni spe retinendæ ulterius urbis abjecta, alii alio præcipiti fuga dilapsi, urbem in regis arbitrio reliquere.

REGIUM AUSPICIUM. CAP. X.

A dnumerantur vero Columbæ inter eas alites, quæ Regibus auspicia faciant. Hinc Maroniana Aneæ, Columbæ geminæ a matre in auspiciis missæ. Et Cæsari originem inde trahenti prospero fuerunt ostento, cum palmam eam nidis frequentare capissent, quam ipse castris locum capiens, inter sylvas quas cadebat repertam, conservari, ut omen victoriæ jussisset: ea enim de causa mirum & inusitatum videbatur, quod id avium genus duram & asperam frondem studiose soleat evitare. Et eadem die qua natus est Diadumenus Marcini filius, Aquila ei palumbum regium parvulum attulit, & in cunis posuit dormienti, recessitq; sine noxa: quod dubio procul eum ab ineunte ætate Imperatorem futurum indicavit. Quinetiam aruspices dixerunt, Alexandrum Severum futurum Imperatorem, consulti quid haberet auspicii, quod anicula quædam, quo die natus est, ma-
tri

*Columba-
rum osten-
ta varia.*

tri ejus hujus generis aves obtulerit. Apud Hebraeos legas, praedivum ac potentiorum hominum morem fuisse, Columbarum alas gypso illitas in summæ felicitatis signum summis tectis effigere. Hoc Euthymius.

A SE MINIME IRACUNDUS. CAP. X.

Quod vero debilis defectu in Columba paulo ante dicebamus, Aegyptii sacerdotes hominem natura ipsa nequaquam iracundum, qui tamen aliorum perversitate commoveri posset, ostendere cum volebant, Columbam pingebant uropygio furectio: propterea quod eam, uti dictum, vel non habere bilē, vel si habeat, in uropygio esse tradunt auctores veteres. Unde Græci cum mansuetudinem exprimere vellent, *ἡμὴν πλειάζ*, hoc est, *quieta Columba*, dicere consueverant, & *πρῶτος* *πρῶτος*, eodem significato. Quæ cum porro sit gregalium omnium mansuetissima, judicata est à Mose purissima, ut inquit Philo, veluti ex solitariis sola Turtur delecta, quæ in eo avium genere, nulli omnes antecellit ingenio. Neque temere Davides advolandi desiderio succensus, ut fere periculum eximeret, pennas sibi dari cupit, ut instar Columbae volare possit. Psalm. 55. Columbam ponit, non Aquilam, non Accipitrem, longe fortiores, impetuosioresque alites, nempe quia eadem est prædita mansuetudine, tractabilitateque & simplicitate, qua Rex ipse insigniter pollebat. Puritatis hujus meminere etiam auctores Græci, quin & osculorum, propter quæ sit Veneti dedicata, & quod ea de causa Diis adoleretur, quod fel in interioribus haudquaquam habeat.

TREPIDATIO. CAP. XI.

Nidam *ἰσχυρὸν*
envis colum.
basimide.
Hom. Odyss.
μ. vers. 63.
Timidam
columbam.
Marullus.
Trepidus ur
gere colum-
bas. Ovid. 5.
Metam. O-
dys. 4.
Æneid. 1.3.
Carnu Co-
lumbina
villus.

Illud autem vulgatissimum est hieroglyphicum, Columbam pro trepidatione ponere: nam & nomen illi apud Græcos *ἰσχυρὸν* hoc idem significat, à *ἰσχυρὸν* enim deducitur, quod trepidare est. Et Poetæ tam Græci quam Latini passim in pavidis hanc usurpant comparisonem, ut Homerus, *αἰὲ βῆδον ἰσχυρῶσι πελάσσειν ἰμάβ' ὀμοίαι.*
Ha pavida gressu similes abiere columbis.

Quam similitudinem Maro ita transtulit,
Præcipientes atque tempestate columbae.
Etymologici enim *ἰσχυρῶν* paronymon, non epitheton Columbae ponunt.

SALUBRITAS. CAP. XII.

Æterum, quamvis aliqua det impietatis exempla, nihilo secius inter animalia maxime pure recensetur: propterea quod persuasum est eam carere bile, ut dictum, morbosaque & pestilenti quantumlibet tempestate fervente, qui non alia quam earum carne vescatur, contagio ejusmodi non contaminari. Quare si pestis unquam debacchari cepisset, nihil aliud in obsonium Regibus comparabatur, quam ex Columba: quamvis Diodorus Vitulum alioqui & Anserem simplicem tantum, eorum cibum fuisse contendit. Sane Florentinus lib. de Re rustica: pullos columbarum necessarios esse dicit iis, qui vires à morbo recolligunt.

MEDICINA PETITA A DIIS. CAP. XIII.

Columba
herba qua
vocatur
Helsus pur-
gatur. Plin.
lib. 8. cap.
Plin. lib. 8.
Proserbium
Græcorum
Δαφνίλο
Φοῖβ' ἱε-
ρατεῖας.
Auctor Sui-
das.

Cum vero aliquem, medicina ab aliquo Deorum præmonstrata, à morbo convaluisse ostendere voluissent, Columbam, vel, ut scribunt alii, Palumbem (nam hæc etiam in auguriis aliquando confunduntur) lauri ramusculum rostro gestantem exprimebant. Ales enim ea quotiens ægrotae caperit, lauri folio decerpto sibi ipsa medetur. Neq; vero palumbes tantum, sed & Gracula, Meralisq; & Perdices lauri folio annuum fastidium purgant. Corvus quoque occiso Chamelæonte, qui etiam victori nocet, lauro infestum virus extinguit. Unde dicitur frequenter apud Græcos, *Scipionem laureum gestare*, de iis, qui in aliquas insidias lapsi vitæ periculum feliciter evaserint. Medicinam autem multifariam ab oraculis petere antiquorum mos fuit, & suis quoq; temporibus petitam memorat Plinius. Illi enim quotiens graviore aliquo morbo correpti essent, soliti erant in travia aut sacris locis deponi operientes vel oracula, vel somnia, quibus quid ad sanitatem faceret, edocerentur. Præterea non contemnenda fuit veterum opinio, quam Herus sequitur, morbos ad Deorum immortalium iram referre meritoq; ab eisdem opem potere necessarium esse. Philon Medicus Phatimæ

A Pharmaca quædam summæ efficaciz, quæ ipsemet concinnare solitus erat, *θεῶν χειρῶν* appellabat, *Deorum manus.*
 quod non aliter ad salubritatē conferrent, quam si Dii ipsi manus suas ad curationem apposuisent.
 Et Astrologi quosdam homines à genesi eo fato nasci prædicant, ut votorum potius ope, quam medicinis, ab ægritudinibus & moribus liberentur. Notum est Alexandri Macedonis exemplum, *Exemplum in montan-lum,* cuius milites plerique, & cum Ptolemæus, cui postea Ægypti regnum obtigit, sagittis veneno intinctis ad Sami regnum, vel ut alii scribunt, in Musicanis, cum vulnerati essent, neque remedium ullum ad salutem inveniretur, Draconem in somniis, qui herbam quandam ore gestaret, oblatum regi, qui remedium sibi ex illa imagine demonstratum ratus, exquisita inventaq; herba ea vulneribus adhibita, vel, ut nonnulli tradunt, potionibus instillata, cunctos sanaverit. Solitum enim esse Deum Opt. Max. hac etiam ratione mortalium rebus ferre opem, & ut à dæmonibus quoque ferretur permittere, ut nostra nunc misla faciamus, ex multis veterum memoriis & Poetarum testimoniis confirmatur. Nam quod pertinet ad Æsculapium, quem ægritudinum causa consulebant, in agro Bellunenfi Læbactiorum vico memoriæ est hujusmodi.

B
 A S C L E P.
 I O . P . X E.
 L I U S P O.
 L I O M O.
 N I T U S P O.
 S U I T.

Et Pannoniam è Norico à Bellunenfi territorio proficiscentibus. Albæ Juliæ monumentum offertur in hunc modum:

I . O . M . S T A T
 C . V A L E R I U S
 V A L E R I A N U S
 E X V I S U P .

Multi hujusmodi passim reperiuntur. Quod vero traditum est à Poetis, Homerus qui somnium ab Jove esse ait, Agamemnonem excitari facit ad præliandum, somnum ab Jove misso: Nauficaam à Pallade, ut in agrum progrediatur, quo suspiceret Ulysses, & multa passim eodem modo Virgilius quoque hanc ipsam rem latissime & hic & illic profecutus, nusquam tamen plenius, quam ubi de Latino loquitur.

Uliad. 8. in princip. Encl. lib. 7.

C
 At rex sollicitus monstris, omacula Fauni
 Fatidici genitoris adit, lucosq; sub alta
 Consultit albunca, nemorum quæ maxima sacro
 Fonte sonat, saxamq; exhalat opaca Mephitim.
 Hinc Italæ gentes, omnisq; Oenotria tellus
 In dubiis responsa ferunt, huc dona sacerdos
 Contulit, & Casarum ovium sub nocte silenti
 Pellibus incubuit stratis somnosq; petivit.

Multi modis simulaera videt volitantiæ miris,
 Et varias audit voces, fruiturq; Deorum
 Colloquio, atq; imis Acheronta affatur Avernis.
 Hic & tum pater ipse petens responsa Latinus,
 Centum lanigeras maculabat vice bidentes,
 Atque harum effultus tergo, stratisq; jacebat
 Velleribus, subita ex alto vox reddita luco est.

Ut qui ex aquæ sulphureis nascitur.

ANIMORUM FUTURA FELICITAS. CAP. XIV.

Sed quoniam incidimus in oracula, nusquam ego plura notis hieroglyphicis similia comperio, quam in Divinis nostrorum literis, ita omnia sensu mystico conscripta quæcumque Moses, quæ David, quæ Propheta reliqui divino afflati spiritu protulere. Talis est argentea Columba illa, cui aurum in dorso, posteriorem partem versus inductum. Significat quidem hoc, ut Theologi nostri interpretantur, insulare à tergo aurum perpetuæ felicitatis. Nam quam quis quietem in humanis assequatur, quæ præ manibus sit, & ante oculos sita, eam per argentum, quo anteriores Columbæ istius partes bracteata sunt, accipiunt. Longe autem pretiosorem illam, quæ subsecuta est post obitum, per aurum à tergo illitum, intelligunt: si modo, uti superius monuimus, ante noctis tempus ad arcam cum oleæ Turculo revertamur. Nam & apud aruspices profanos, feliciora tempora subsecutura indicatum est, ex aureo gibbo, quem sibi accessisse in tergo Domitianus Imp. paulo ante quam interficeretur, per nocturnam imaginem visus erat se videre. Eucherius Columbam illam argento illitam, cujus posteriora in specie splendentis auri radiabant, significasse ait, prima quæque in Divinis literis argento fulgere, occultiore vero sensum longè pretiosorem, veluti aurum rutulare, *Onacula Divina. Suet in Domitiano c. 15.*

lare, longaque admodum disceptatione recte procuratum ostendit, ut illa sermonum, qui de Divinis habentur, castitas intemeranda à promiscuis cunctorum oculis, in abdito seposita, suo quasi quodam velamine pudicitiae cõtegeretur, cœlestibus obumbrata mylteriis, sicut secreto ipsa suo divinitas operiebatur. Nam quid aliud sibi vult: *Aperiam in pambolis os meum, & in enigmate antiqua loquar*: quia hieroglyphice sermonem faciam, & allegorice vetusta rerum proferam monumenta? Et illud: *72. sua in pambolis loquebatur ad turbas*, nisi sermones suos mystico sensu convelabat? Ita Prophetæ, ita Apostoli ab usitato loquendi more recesserunt, facilia in proptu habentes, magna in recessu contentes. Quod ea de causa congruum fuit, ut sacra de Deo dicta à ceteris scriptis, sicut merito, ita & specie discernentur, ne illa cœlestium arcanorum dignitas passim & indiscrete patesceret, sanctumque canibus, & margarita porcis exponerentur. Ita consecrata vasa templi involuta promiscuis populis ferret, nec tamen conspicerentur. Addam & illud, quod ab eodem Eucherio traditum in iis, quæ de formula spiritualis intelligentiæ scriptis: *Posteriom in divinis incarnationem* (admisere enim vocab. Theologi) *fili Dei, quæ subsecutum esse indicare*: eoque spectare, quæ per Angelum Moysi dicta sunt: *Posteriom meam videbis, faciem autem meam videre non poteris*: quia scilicet. *Patrem novum nemo nisi filius, & cui voluerit filius revelare*. Atque hæc quidem de Columba hieroglyphicis Theologi veteres tradidere: & argenteam eam, purissimo scilicet candore spectabilem fuisse dicunt, quæ supra caput altiterit Assertori nostro, dum sanctissimæ illi aspergini in Jordano tinctus initiaretur. Columba autem oculos habere: ut Cantorum cantico, ea intelligitur anima, ut tradit Adamantius, quæ divinas literas non in superficie primoribusque, ut ajunt, labris, sed intimum usque sensum exquirat. Duabus hæc dum sedet, alis tegitur: iisdem nixa fertur in sublime. Volamus, cum philosophica quadam morte separati à corpore, rapimur ad divina: sedemus, cum in amicorum conventu atque consortio, de sobrietate, de temperantia, de modestia sermones varios commisceamus, cujusmodi illi sunt, qui nos quotidie monent, ut cum Columba pro cantu gemitum edamus: cum scilicet, quæ perperam à nobis facta sunt expendimus: id procuremus, ut veluti Columba felle careamus, hoc est, iracundiæ amaritudinem à nobis amoveamus: ut Columba oculos inhiemus, quippe pacem ipsam undecumque perquiramus: ut Columba gregatim volitemus, piorum scilicet conventus candida simplicitate præditos frequentemus: ut Columba ex raptu vivere abhorreamus, nempe nulli esse injurii, nulli detrahere, neminem offendere caveamus: ut Columba, cum cibum sumimus, meliora grana secernamus, dicta quidem præceptaque ad institutionem & bonos mores faciendia, à turpibus seligentes, ea gustare properemus: ut Columba cadaveribus vesci abominemur, affectus scilicet, qui corpori sunt insiti, qui sensibus adblandiuntur, aversemur: ut Columba in petra foraminibus nidulemus. Petrum, Christum divinæ lectionis Magistri interpretantur, in cuius vulneribus & plagis nidum nostrum imponere debeamus: ut Columba juxta rivos & fluentia resideamus, ut umbra Accipitris inspecta, si forte impetum in nos fecerit, possimus eum commodius & expeditius declinare. Fluente, rixos, aquam cœlitus stillantem pro disciplina poni, alibi dictum: hinc igitur lectionibus incumbendum admonemur, ut à mali dæmonis fraudibus ita nos facilius subducamus. Ut Columba geminos pullos enutriamus. Columbam amorem superius significare dictum. Geminos igitur amores educemus: unum, quo Deum pie colamus: alterum, quo mortales alios ardenti quadam charitate prosequamur, quæ quidem si præliterimus, nihil nobis ad bene beateque vivendum est in posterum defuturum.

Quomodo
siet homo
Columba
similis.
Cantic. 6.
Et 4.

DE TURTURE CAP. XV.

Mira Tur-
turæ Sidu-
ntis canti-
nentia &
conjugii

PARUM Ægyptiis cognita Turtur fuit, nisi plura super ea tradiderunt, quam legatur (apud Horum). Sedenim, minime verisimile est, sacerdotes eos in universa rerum natura toto vitæ tempore vetatos, non longe plura ac pene innumera intellexisse, quam ea paucissima, quæ, ut Plautus diceret, *frust. Utarim hic & illic conspiciuntur*. Sed quoniam doctrina hæc prorsus extincta est, satis nobis fuerit, si quando corpus ipsum ab inferis revocare non possumus, aliquam tamen rei umbram ob oculos exhibere, sive ab Ægyptiis, sive ab Hebræis, sive ab Græcis aut Latinis tradita reperiantur.

CONTI

CONTINENTISSIMA VIDUITAS. CAP. XVI.

A Plerique igitur continentissimam viduitatem exprimere cum volunt, Turturem in aliquo ramo insidentem pingunt: ea enim conjuge vita functo, ita se ab aliarum volucrum consortio separat, tantique mœroris exempla exhibet, ut numquam inde societatem inire cum alio quopiam patiat, sed quod reliquum est vitæ, absq; conjuge in perpetuo cœlibatu degat, sola volet, neque in frondescenti ramo unquam insideat, eaq; omnia faciat, quæ ad luctum spectare, & ad viduitatis ac solitudinis mœrorem exprimendum aptissima vel in homine videantur. Eiusdem est etiam mas continentia, qui nulli amplius fœminæ copulatur, sed in eodem comparis desiderio perseverat. Quinetiam dum vivi sunt, mas nullam aliam adit, quam eam unam, qua cum semel conjunctus fuerit, & idemdem fœminâ suam ipsa marem unum tantum agnoscit. Quod quidem ex eo majorem affert admirationem, quod nullus adhuc hominum, neque quidem ipse Paulus, ausus est legem viduitatis præscribere: & tamen una inveniatur avicula, quæ nos sponte in continentia moribus antecellat. *Audiant, inquit Basiliius, mulieres ipse, ut animalia rationis expertia viduitatis honestatem inde corò iceniti connubii anteponan, si hæc avicula, recordatione consortis, conjugium alterius abnuat, sua contenta solitudine.*

PUDICITIA. CAP. XVII.

A Pud Hebræos ipsos omnino reperias Turturum par pudicitiam significare: siquidem, ut apud *Par Turturum quid.* eundem Basilium habetur, in Circumcisione par Turturum, aut duos pullos columbarum offerre mos erat, quod iudicium esset pudicitia, ac vitæ continentis exemplum. Origenes porro, sive ea Cyrilli fuerint, quæ in eandem prorsus sententiam plerisq; locis & huic & illi inscripta reperiuntur, tunc offerre nos Deo muneri par Turturum inquit, cum mentem nostram Dei verbo velut vero conjugii sociaverimus, sicut hoc genus avium unum atque illud idem castum servare conjugium dicitur. Addit alibi, Apostolos, cum de castitate sermonem habent, eam per Turturem quam memoraverint, intelligi. Divinæ siquidem literæ per Turturem unamquamque animam castitate præditam intelligunt, de qua Psalm. 83. dictum volunt: *Invenisse eam nidum, ubi poneret pullos suos, hoc* *Verf. 4.* est, Ecclesiam piorum scilicet cœtum, ubi virtutum genus omne appareret. Turturis enim pulli pro virtutibus accipiuntur. Alibi diximus, pudicitiam à Romanis velata facie pingi sculpique solitam: & apud alios Testitudinæ equiparatam, quod pudicarum est sese domi continere, & frequentia loca omnia declinare. Atqui Turtur in secretioribus & remotis à multitudine locis vitam transigit, aut deserta montium diligens, aut secreta sylvarum à frequentiore avium aliarum cœtu sequestrata,

PROVIDENTIA. CAP. XVIII.

Oblatio vero Turturis & Columbæ in sacris literis significat, ut Hesychius exponit hominem, contemplationi deditum, qui munus offerat suum in scientia & mansuetudine spiritali: hic enim opus est prudentia, ut non excedat legis consideratio circa res vanas occupata. Turturem, quidem ponit, quia cognitionem atq; prudentiam habet rerum, quas sibi necessarias fore viderit, ita ut ejus exemplo exprobraretur populus Judæorum, Hieremias dicente: *Turtur, & Hirundo, & Ciconia custodierunt tempus adventus sui, populus autem meus non cognovit iudicium Domini.* Columba autem munda & simplex, præsentia sancti Spiritus est index, quales esse oportet eos, qui divinarum literarum contemplationi sese dedicarunt: quam quidem simplicitatem Jesus, Aferretor noster Apostolis ita commendavit, ut eos simplices esse debere sicut Columbas idemdem admoneret, & beatos mundo corde plurimum affirmaret. Ideoque Ezechias cum neque altum sapere vellet, neque majora se *Es. 38.* querere paratus eslet, *Mediabor, inquit, ut Columba.*

SALTATIO. CAP. XIX.

A Pud Philippum illum, qui sacerdotum Egyptiorum lemmata quædam Græce scripta posteritati tradidit, saltatorem hominem & tibiis deditum, per Turturem significari comperio, neque quicquam aliud: nam omnine tibiis mirum in modum affici compertum est, quarum etiam audita modulatione, dare eam motus incompósitos, & saltationem imitari dicunt: quinetiam eo cantu in insidiis allici, atque capi. Ad hujusmodi saltationem addemus, quod Theocritus Idyllio cui

Hinc illud
Zenodoti,
ex Ploio
Menandri,
Tyrivis
daxivis
Turture lo
quacior. Et
Ailianus li,
12, c. 6.
Cant. c. 2.

Συγχεσται titulus est, loquaciores quasdam feminas Turtures vocat: illæ enim non ore tantum garrulitatem ostentant, verum etiam caudæ motu, qua propemodum obstrepere videntur.

INTELLECTUS ÆTHEREUS. CAP. XX.

AT in divinis literis Turtur intelligentiam, quæ à divino Spiritu est, significat, ait Eucherius, eo Cantici Canticorum loco: *Vox Turturis audita est in terra nostra*: neque inficiatur idem de Columba dici. Sed Spiritum sanctum ex Columba tunc intelligi vult, quando, quæ de sacris literis disputatio commentarioq; profertur, ea manifesta est & adaperata: tunc vero ex Turture, cum res aliis obscurisq; mysteriis agitatur.

DE HIRUNDINE. CAP. XXI.

ET quoniam Hirundo, quam Hieremias dicit Turturi comitem itineris additam, in manus incidit, eaque non minus garrula quam Turtur notetur à Theocrito, naturæ puritatem quandam secuti, significata ejus superioribus duobus priusquam advolet, excipiemus, quæ sunt hujusmodi.

ÆQUALITAS. CAP. XXII.

Eadem Pl.
lib. 10. c. 33.
Æqualitas
in epulis.
Quia fors
san adultio
res pullos
circumagi
docent, &
foris saturi
tatem emit
tere, & alia,
quæ Plin. li.
10. c. 33.

Ægyptii per Hirundinem in primis, quæ filiis suis cibum subministraret, hominem intelligebant, qui liberis æquas hæreditatis portiones distribueret; neq; non Principem, qui se civibus æquaret suis, neq; ullo vellet ornato vel apparatu magis quam reliqui sumptuosiore accipi. Hirundo siquidem mira filios alit æquitate, singulis cibum parem impartiens, ea adhibita diligentia, ne qui semel acceperit, bis accipiat: atq; ita, ut par sit omnium sportula, procuret. Æqualitatis istiusmodi adeo studiosus fuit Hadrianus Imp. ut in victu familiariter Homericum illud observari voluerit, ne quis *δαστός εἶσος* indigeret: quoq; obsonatoribus nullum relinqueret peccandi locum, sæpe fercula de mensis aliorum, etiam infirmorum apponi sibi jubebat. Nihil enim ad conciliandos sibi populorum animos æque principibus prodest, quam æqualitatis ostentatio. Nam cum potentia suapte natura odiosa sit, per moderationem maxime omnium evadit amabilis.

INSTITUTIO. CAP. XXIII.

Sunt qui calathum cum pullis Hirundineis in aliquot veterum monumentis observatum, hieroglyphicum institutionis esse contendant, argumentumq; ejusmodi ad Osiridis & Cereris beneficia in mortales collata, referant: quod scilicet, ab iis & vivendi leges, & agri colendi præcepta receperimus, & æquo cum reliquis jure vitam degere didicerimus. Legifera enim Ceres est Poetis, de qua plura alibi. Et apud Diodorum sacris Ægyptiorum literis, Osiris Jupiter, iustus, pater, dux & consultor omnium habetur, quæ sive ad institutionem, sive ad æquitatem accommodes, omnia quadrabunt.

ARCHITECTURA. CAP. XXIV.

Hirundinū
in nidu con
struendis
industria.
Iisdem pene
verbis Plin.
lib. 10. c. 33.
Iisdem ex
Plinio.

Studiosum ædificationis hominem, quiq; ampla ædificia, vel etiam oppida condiderit, per Hirundinem, quæ nidum astruat, intelligi nonnulli volunt: ab Hirundinibus enim aggeres fluminibus opponere, muros construere, domos cæmenticias ædificare dedicisse nos, qui de architectura scripserunt authores optimi tradidere. Opera pretium vero est spectare alitis artem, & ingenium. Cum nidum luto construit, stramento roborat ad lutariæ paleationis normam: ac si quando evenerit ut lutum ita contrahens, ne omnino illi materia desit ad fabricandum. Manifestum autem industria hujus argumentum in Heracleotico Ægypti ostio præstant usque adeo tenellæ aviculæ, molem continuatione nidorum ita vaganti Nilo inexpugnabilem opponentes stadii unius spatio, ut id humano opere perfici vix posse credatur: unde mortalium primi, qui casulas ædificare cœperunt, exemplar non tantum ad ædes, verum etiam ad aggeres & munitiones construendas acceperunt.

PATROCINIUM. CAP. XXV.

Hæreditarium patrimonium ex asse filiis relictum per nidum Hirundinem apud sacerdotes Ægyptios significare tradit Horus, hieroglyphico inde desumpto, quod ab avium nulli
nidus



A nidus tanto labore, tanto studio, tam diuturnus, & posteris quoque usui futurus ædificetur: nam si parentes intereant, eam adeunt hæreditatem filii, vel eam artem à parentibus edoceri, unde sibi necessaria comparare possint, norunt. Agnoscit hoc Basilus, ubi ait: *Nemo paupertatem deplorat suam, in Hexam. neq; ut de sua vita desperet, aliumque jam esse de ipsa putet, cui nihil est de patrimonio relictum: non enim desunt artes & industria, quibus si nos exercere voluerimus, neque Hirundinibus deteriores esse, vitam commodè agere valeamus.* Hujus vero hieroglyphici argumentum ex eo desumptum, scribit Horus, quod uti superius dictum, Hirundo usque adeo filiorum commodis studet ut vel peritura, dum aqua perfusa, & pulvere volutata capturæ periculum adit evidentissimum, nihilo secius sedem filiis paratura, opus perficere conatur.

IMPLORATIO AUXILII. CAP. XXVI.

Invenias apud Xenophontem (quisquis ille fuerit) eo libello, qui titulo De æquivovis circumferatur, per aves has in nido ore patente pictas, populos auxilium implorantes hieroglyphicè significari: nidus enim patriam, os vero adaperit clamorem, & implorationem ostendit. Hic illud in Ezechie Cantico: *Sicut pullus Hirundinis, sic clamabo.* Unde admodum erudite Plautus Hirundines obicit in somnium Demonæ, quas Simia sollicitabat, qui sit filium statim penes lares suos in phano Veneris implorantem, inventurus: illa enim, Hirundinum more, quodammodo transfretaverat, & ad consuetas sibi sedes, domum quidem paternam, delata erat.

AMICUS INUTILIS, CAP. XXVII.

Apu aliquos Hirundinem pro amico poni, tum inutili, tum ingrato & perdifficili, comperias: quippe qui moribus nostris, & familiaris vitæ rationi difficulter assuescat. Hirundo siquidem nostro magis quam ulla alia volucris contubernio freta, diu nobiscum versata, nostra omnium maxime familiaris atque domestica, nullam tamen nobis utilitatem affert, numquam mansuescit cicuraturve. Proinde verno, hoc est, tranquillo adventante tempore, nos invisit, & quasi in officio futura præsto est: hyeme vero, hoc est, turbido cælo instante, adversaque fortuna ingruente profugit: qua similitudine utitur ad infidam amicitiam notandam, author Rhetoricorum ad Herennium. Eaque de causa Pythagoras eas à tectis ablegavit: id scilicet inuere volens, hujusmodi notæ homines evitandos, ac nullo pacto consuetudinem & amicitiam cum illis ineundam esse. Id quod Plutarchus Symposiacè octava decade latius explicavit, quæ, ne multa congeramus, brevitatis causa præterimus.

VERNUM TEMPUS. CAP. XXVIII.

Illud vero nulli non innotuit, Hirundines plures convolantes à mari verni temporis indicium esse, cum vulgatum sit adagium: *Unam tantum Hirundinem ver non facere.* Accidit huc Ciceronianum scomma in C. Verrem, ubi dicit: *Satisne vobis magnam pecuniam Venerius homo, qui è Chelidonia sinu in provinciam profectus est. Veneris nomine quassisse videtur?* Alludit, inquit Asconius, ad nomen, quod Hirundo, quam Chelidona Græci vocant, Veris, id est, temporis verni sit amica: illa enim adulto semper vere præsto est: totamque apud nos æstatem agit. Atque hoc illud est quod Horatius ait: *Cum Lephyris & Hirundine prima.* Et apud Aristophanem, Equitibus, *παιδες ἔχ' ὄρεθ' ἄρεθ, ἢ α χελιδόν.* Apud Athenæum legas Rhodiis præcipuum fuisse morem sub tempus vernum Hirundinem invitare, idque *χελιδονίζον* dicebant. Apud Aristophanem Hirundo chænum vendere, thestrum emere suadet: præteriste quippe hiemem admonuit, adesse vero æstatem.

GARRULITAS. CAP. XXIX.

Cæterum D. Hieronymus & Cyrillus cum Aristotele consentientes, per præceptum illud Pythagoricum, *ὁμοσφίσις χελιδόνας μὴ ἔχειν*, abstinentiam à commercio garrulorum & furrionum intelligunt, quam quidem sententiam corroborat Alexandri historia, quem cum quiescentem Hirundo quæ-

Theognis
apud Athe-
naum lib. 3.
Hirundines
ne habeas
sub eodem
titlo.
Garrula
hirundo.
ΕπιΘε-
χλιδός.

do quadam magno garritu supra Regis caput importune volitans interturbaret, Aristander Theophrastus pro domesticis accipiendum, qui Alexandro insidias pararent, interpretatus est, quas tamen facile deprehenderet, idque garritum indicare, quod eventus postmodum comprobavit, Alexandri Aropi, quem ex amicorum numero Theffalis equitibus praefecerat, consilio patefacto. Sane κατιδία η χελιδών Hesiado, propter garrulitatem, unde Poëta is κατιδία formavit. καλλιδέν enim garrire est, eoque cognomento ales hæc apud Anacreontem & Simonidem appellatur. Et Aristophanes, Ratinis, Musæa Hirundinum vocat nugationem nihili, & quæ foliis levior sit. Sunt qui super hoc D. Hieronymum impugnent: sed si fabulose potius, rhetoriceq; lascivium, quam quicquam sani asserant, præter ea quæ desumunt ex Plutarcho. Nos ex Nicoftrato garrulitatem hanc notatam his jambis asseremus:

Εἰ πο' σιωπῆως καὶ πολλὰ καὶ ταχέως λαλεῖν
ἦν ἔφροεν ὠφεσημον, αἱ χελιδόνες
ἐλέγοντο ἡμῶν σὺ φρονεῖσθαι πολὺ.
Loqui si indefinenter, multa que & velociter,
Prudentiam indicaret, utique Hirundines
Fortasse quam nos sapere dicantur magis.

LUCTUS ET QUERIMONIA. CAP. XXX.

Alii Pythagoricum idem symbolum interpretantes referunt ad tragædiam, quasi triste omen, lugubreque argumentum secum asserat Hirundo, quæ, ut apud Joannem Grammaticum in Hesiodi Commentariis legimus, cum prius Philomela Pandionis filia esset, nunc Hirundo avis, φησὶν Φησί, με ἐβιάζετο. Tereus, inquit, mihi vim intulit. Nam quod nonnulli tradiderunt Philomelam in Lusciniam abiisse, idem author Procne, non Philomelæ, id obtigisse dicit: καὶ πρὸς κνη ἀπὸ τῶν γυναικῶν ἴτιν ὀδυρεῖ. Et Procne in Lusciniam commutata Ilyn deplorat. Idem apud Ovidium habemus.

Sola virum non ultra prius matissima mater,
Concinit Ismarium Daulias ales Ilyn.

Car. li. 4. Ita & Horatius Flaccus de Procne loquens, quamvis non expresso nomine, Lusciniæ tamen similem dicit:

Nidum ponit, Ilyn flebiliter gemens,
Infelix avis, & cecropia domus
Æternum opprobrium; quod malè barbaras
Regum est ultra libidines.

Et Catullus eodem modo:

Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias absumpti fata gemens Ilyi.

Sentit idem doctissimus Probus in Bucolicis. Sed hinc alia oboritur quæstio, quoniam super eadem Hirundine dixerit Hesiodus:

τὸν ἢ μετ' ὀφθαλμῶν πανδιονίς ὤρετο χελιδών.
Quem mane gemens Pandionis excitat Hirundo.

Ὄφθαλμῶν exponunt interpretes, clamosa, non autè diluculo flens: cum Hirundo tota clamitet die: non autem mane tantum, aut vesperi, veluti facit lusciniæ. Sed hic quoque quantum pertinet ad cantus querimoniam & sletum, quæstionem movet Proclus, Platonis nixus testimonio, nullam aliam dicens dolore affectam canere: quare quod Hesiodus de Hirundine ὀφθαλμῶν scripsit, is ὀφθαλμῶν legendum censet, quæ scilicet matutino clamet. Atqui nullo etiam teste scimus autem nullam afflictam canere, Sedenim, haudquaquam leviter, sed ex arte Poëta dixit Hirundinis loquacitatem lamentationem esse, fabulæ ratione habita, quæ de Pandionis filia fertur, cuius lamentationem paulo ante ex Joanne Grammatico retulimus. Sed quoniam modo Proclus lugere negat Hirundinem, cum eam Pandionis filiam agnoscat? quove modo ὀφθαλμῶν scribendum contendit, cum non matutino tantum, sed toto vociferetur die, diluculo vero haudquaquam magis? Sed ut ad Plato-

Terti fabu-
la.

A Platonis sententiam convertamur: ille nimirum, de avibus, quatenus aves sunt, afflictas eas non canere dixit: qui vero flebile quid Pandionis filiiis attribuunt, ad eam, quæ de iis fabula vulgata est, respiciunt. Verum operæ pretium est fabulam, quemadmodum apud Sophoclem digesta est, poemate de Tereo, subtexere. Pandiona quidem, ait is, Atheniensem filias habuisse Procnen & Philomelam, quarum Procnen Tereo Thraci in matrimonium collocavit, qui Ityn ex ea filium suscepit. Aliquo vero post tempore accidit, ut Tereus Athenas repetierit, Philomelam ad Procnen uxorem deduciturus in Thraciam, quam in Daulide Bœotia defloravit, linguamque ejus abscidit, ne quid ad fororem deferre posset. Cum vero hæc in Thraciam appulisset, historiam ut acta fuerat, acu pingit, remque ita omnem manifestat. Procne re cognita Ityn filium discerpit, patrique Tereo epulandum apponit. Hic vero ubi se filium absumpsisse cognovit, eas erat districto jam gladio interfecturus, quas Dii miseri, ut ajant, in aves transmutarunt, & procne quidem Luscinia facta, Ityn absumptum lamentatur, Philomela Hirundo, Tereus mihi vim intulit, assidue clamat. Ille vero in upapam mutatus, πρ πρ gemens dicere videtur. Hæc cum filium meum discerpissent, eum mihi in epulas apposuerunt. Quare Proclus veniam antiquissimo Poetæ dare potest, qui sorores infelicissimas etiam aves factas, sortem quamque suam, quasi permanente præteritæ calamitatis memoria, ita lamentari confinxerit.

*Obidius l. 6.
Meta, 5.
Naro in
Sileno.*

*Alii, per
nuncios suo
sanguine
scriptum a
sororem
misit.
Ity conser
sus est in
Phasianum.
Strabo l. 7*

PÈREGRINATIO. CAP. XXXI.

In conjecturis alioqui, habere se Hirundinis caput imaginari, peregrinationem significat: id enim earum avium præcipue proprium, utpote, quæ neque quidem apud parentes degere soleant. Hinc Hirundo quæ in Pyrrhi tabernaculo nidum posuit, rerum quas peregrè instituerat, irritum eventum ostendit. Indicavit id ipsum Cyro, quæ in tectis ejus nidificavit. Quamvis Dionysio priori arcem relinquenti, cum ibi nidularentur, reditum portendere.

RESIPISCENTIA. CAP. XXXII.

Sunt qui respiscendam per Hirundinem acu transossam oculos indicent: ea si quidem, si vulneratis oculis obcæcata fuerit, oculos tamen & lucem recuperare fertur. Cujus rei causam commentantur, imperfectionem quandam qua prædita sit, natura quippe nondum vires omnes subministrante: in pullis enim tantum hoc evenire: quare si punctu læsi eorum oculi fuerint, superesse vigorem adhuc luminis, quem natura ipsa subministrat. Lumen autem pro sapientia & cognitione poni, perinde ac pro imperitia & insipientia tenebras, unicuique manifestum crediderim. Tertullianus abdit, uti eam ad hoc chelidonis suæ beneficio, cujus scilicet herbæ succo pullorum oculos oblinat, atque ita visum restituat. Ne tamen nullus sit nobis ex Hirundine usus, Cecinam Volaterranum equestris ordinis virum, legimus comprehensas Hirundines in urbe, secum in expeditionibus afferre solitum, quas postmodum victoriæ nuncios amicis mittebat in eundem nidum remeantes illico victoriæ colore. Ut minus jam illud admiremur, quod à Fab. Pictore traditum ajunt, cum obfideretur præsidium Romanum à Jugurthinis, Hirundinem ablatam à pullis ad se mox cum epistola rediisse, ut lino ad pedes ejus alligato, nobis significaret, quoto die adveniente auxilio, eruptio fieri deberet.

*Hinc chelidoniam
herbam ab
his inven-
tam tra-
dunt, Mat-
thiol. in
Dioscor. l. 2.
c. 49. Plin. l.
10. c. 33.
Ufus ex Hi-
rundinis,
quæ.*

JOAN-